

Hieronymus, prælusit quodammodo pugnae, suamque potius aperuit fidem, quam ejus expugnarit infidelitatem. Nunc quando ad ipsum librum devenimus, quo adversus insaniam hominis summo animi ardore velitatur, ut causae momenta perspecta habeas, quis ipse Vigilantius fuerit, quidque contra rectam fidem temere senserit, praenotandum est. Eum *natione Gallum* dicit Gennadius, *Calagurritarum*, sive ex Calagurris viculo prope Convenarum urbem, Hieronymus; unde intelligas ex inferiori illum fuisse Aquitania ad radices Pyrenæi. Homo erat, eodem Gennadio auctore, *seductus humana laude et præsumens supra vires suas, lingua politus, non sensu Scripturarum exercitatus*, sed si Hieronymum audis, *imperitus et verbis et scientia, et sermone inconditus*. Ex vitæ instituto cauponam exercuerat, sive etiam tunc exercebat, cum novus Ecclesiarum magister audire veluit, et presbyter jussus est. Nam et hunc gradum est consecutus, et *Ecclesiam*, ut Gennadii verbis uti prosequar. *Hispaniæ Barcilonensis parochiæ tenuit*; quæ cum esset sanctorum presbyterorum Riparii ac Desiderii paræciis contermina, hi continuo dolebant morbidi pastoris vicinia proprias de salute oves periclitari. Episcopus quoque, sub cujus ille ditone agebat, patrocinari, et *acquiescere furori ejus* visus est, quandoquidem admonitus corripere furentem distulit, aut penitus prætermisit.

2. Quæ autem vesano ingenio commentus est nova dogmata, ad hæc fere capita reducuntur. Negabat 1° esse martyres, aut eorum reliquias venerandas, sive ad eorum sepulcra in ecclesiis vigilandum, aut alios, qui in Christianorum cælibus consueverant, honores illis esse deferendos. 2° Pejori adhuc vecordia aiebat, minime sanctorum precibus nos adjuvari, neque terrenis tangi necessitatibus cælites; unde et signa quæ per illos interdum fierent, incredulis duntaxat prodesse. 3° Nonnullas Ecclesiæ cæremonias, atque illam in primis, cereos interdum accendi in Missa, sive ad Evangelium recitandum, paganæ superstitionis ritum vocabat; nec *Alleluia* cantari volebat, **386** nisi in Pascha. 4° Sensit suas sibi quemque retinere posse divitias, neque abdicationem a sæculi rebus usque adeo bonam esse, quinimo monachorum paupertatem ac solitudinem desidiam ac turpem fugam appellabat. Quamobrem et eleemosynas, quæ Hierosolymam mitti consueverant, improbabat, forte etiam aliquando prohibuit: nam si in egenorum usu essent opes distribuendæ, non illas semel effundendas, sed paulatim erogandas asseverabat. 5° Denique effutivit, clericos minime omnium debere esse cælibes, tantoque odio habuit continentiam, quam *hæresim* appellabat, et pudicitiam, quam *libidinis seminarium*, ut episcopis etiam persuaserit, nemini credi debere castitatem, nullos cælibes ordinari posse; et nisi tumente uteros viderent feminarum, maritos earum Christo ministerio arbitrarentur indignos.

3. Hisce hæresum monstris per singulas partes respondet Hieronymus hoc libello, quem ut magis mireris, *unius noctis lucubratione dictavit*. Scriptum ipse testatur post *ferme biennium* ex quo epistolam supra laudatam ad Riparium *de vigiliis et pernoctationibus in basilicis martyrum* dedit. Eam vero epistolam ad ann. 40 pertinere ostendimus, unde liber iste ad 406 sit deducendus. Id porro constat ex illa, quam in fine causatur, subita Sisinnii fratris in Ægyptum festinatione; hic sequidem ille Sisinnius est qui uno tempore et hunc librum Ripario ac Desiderio deferendum, et Commentarios in Zachariam Exuperio Tolosano reddendos, a S. Doctore accepit, quos ipse in præfatione anno 406, qui *sexti consulatus Arcadii Augusti, et Anicii Probi fastis nomen imposuit*, a se testatur elucubratos. Quin etiam ad ejus anni finem usque differendum constabit ex alia epistola, in nostra recensione 429, ad Minervium et Alexandrum, in qua Sisinnius, qui *ultimo jam autumnii tempore* Bethleem pervenerat, quasi moraturus ibi, *usque ad diem Epiphaniarum*, dicitur haud multo post, *subito supervenisse asserens se illico profecturum*.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

CONTRA VIGILANTIUM

LIBER UNUS¹.

387 4. *Joviniani damnatio et mors. Errores Vigilantii et blasphemix.* — Multa in orbe monstra ge-

¹ Edd. Martian. et Vallars. habent titulum hujusmodi: *Incipit liber S. Hieronymi presbyteri contra Vigilantium*. EDIT. — *Incipit liber*. Quanta sit Operum Hieronymi in quibusdam libris mss. depravatio, ex uno ms. codice Cluniacensi scire nobis licet; in eo enim ita incipit Tractatus præsens contra Vigilantium: « INCIPIT AD VIGILANTIUM CONSENTIENTEM JOVINIANO. Multa quidem in

nerata sunt: centauros et sirenas, udulas et onocrotalos² in Isaia (*Isa. XIII et XXXIV*) legimus. Job

orbe monstra generata sunt. Sirenes monstra marina. Onocrotalus avis, et interpretatur longum rostrum, Crotalon, id est, cimbalum. Udulas, id est, aves ab ululando dictas. Leviathan, id est cetus magnus.

² Erat antea *onocrotulos*. Martialis, *Turpe Ravenatis guttur onocrotali*. Codex Bononiensis monasterii S. Salvatoris non habet, in *Isaia* legimus.

Leviathan et Behemoth mystico sermone describit (Job. III et XL). Cerberum et Stympthalidas, aprumque Erymanthium, et leonem Nemæum, chimæram atque hydram multorum capitum narrant fabulæ poetarum. Cacum [Al. descripsit] describit Virgilius (*Æneid.* l. VIII.) Triformem Geryonem Hispaniæ prodiderunt. Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortibus et eloquentissimis abundavit. Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dormitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, et martyrum neget sepulcra veneranda; damnandas [Al. dicit] dicit esse vigilias: nunquam nisi in Pascha Alleluia cantandum: continentiam, hæresim; pudicitiam, libidinis seminarium. Et quomodo Euphorbus¹ in Pythagora renatus esse perhibetur, sic in isto Joviniani mens prava surrexit: ut et in illo, et in hoc diaboli respondere cogamur insidiis, cui jure [Al. dicitur] dicitur: « Semen pessimum, para filios tuos occisioni peccatis patris tui (*Isa.* XIV, sez. LXX, v. 21). » Hic Romanæ Ecclesiæ auctoritate damnatus, inter Phasides aves et carnes suillas non tam emisit spiritum, quam eruotavit. Iste caupo Calagurritanus, et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus², miscet aquam **SSS** vino³: et de artificio pristino suæ venena perfidiæ catholicæ fidei sociare conatur, impugnare virginitatem, odisse pudicitiam, in convivio sæcularium contra sanctorum jejunia proclamare: dum inter phialas philosophatur, et ad placentas liguriens, psalmodiarum modulatione mulcetur: ut tantum inter epulas David et Idithum, et Asaph et filiorum Chore cantica audire dignetur. Hac dolentis magis effudi animo quam ridentis, dum me cohibere non possum, et injuriam apostolorum ac martyrum surda nequeo aure transire.

2. *Cælibatus clericorum.* — Proh nefas! episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen episcopi nominandi sunt, qui non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint: nulli cælibi credentes pudicitiam, imo ostendentes quam sancte vivant qui male de omnibus suspicantur: et nisi prægnantes uxores viderint clericorum, infantesque

magnus, et interpretatur additamentum eorum. Behemoth interpretatur animal. Stympthalidas, id est, arpias a Stympthalo flumine. Centauros et sirenas, ululas et nonocratalos in Isaia legimus, etc. » Quis non exhorrescat tantam ac talem puri contextus corruptelam et depravationem codicis ms. Cluniacensis, alioqui præstantissimi, et in aliis bene multis castigatius scripti? Sed hæc facile abstergi possunt ex aliis exemplaribus, quibus semper abundamus in hac editione. MARTIAN.

¹ Vide quæ supra sub finem secundi contra Jovinianum libri adnotamus. Mss. Bononien. *Euforbis*.

² Non ut Victorius putat, quod conterraneus Quintiliano Vigilantius fuerit, sed quod cognominem uterque patriam habuerit Calagurrim. Illa vero Quintiliani in Hispania civitas fuit, hujus autem viculus propter Convenarum urbem, unde et in perversum accepto nomine *mutus Quintilianus* hic

A de ulnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuant. Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti et Sedis apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt⁴ aut continentes: aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt? Hoc docuit Dormitantius, libidini frena permittens, et naturalem carnis ardorem, qui in adolescentia plerumque fervescit, suis [Al. hortationibus] hortatibus duplicans; imo **SSS** exstinguens coitu feminarum; ut nihil sit quo distemus a porcis, quo differamus a brutis animantibus, quo ab equis, de quibus scriptum est: « Equi insanientes in feminas facti sunt mihi: unusquisque in uxorem proximi sui hinniebat (*Jerem.* v, 8). » Hoc est quod loquitur per David Spiritus sanctus: « Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* xxxi, 9). » Et rursum de Dormitatio et sociis ejus: « In campo et freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te (*Ibid.*).

3. *Riparius, Desiderius et Sisinnius. Imperitia Vigilantii.* — Sed jam tempus est, ut ipsius verba ponentes ad singula respondere nitamur. Fieri enim potest, ut rursum malignus interpretes dicat fictam a me materiam, cui rhetorica declamatione respondeam: sicut illam quam scripsi ad Gallias, matris et filia inter se discordantium. Auctores sunt hujus dictatiunculæ meæ sancti presbyteri Riparius et Desiderius, qui paræcias suas vicinia istius scribunt esse maculatas, miseruntque libros per fratrem Sisinnium, quos inter crapulam stertens evomuit. Et asserunt repertos esse nonnullos qui, faventes vitiis suis, illius blasphemias acquiescant. Est quidem imperitus, et verbis et scientia, et sermone inconditus: ne vera quidem potest defendere: sed propter homines sæculi et mulierculas oneratas peccatis, semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, una lucubratiuncula illius næniis respondebo, ne sanctorum virorum, qui ut hæc facerem me deprecati sunt, videar litteras respuisse.

4. *Conveniarum urbes et patria Vigilantii. Pompeiopolis fuit dicta. Verbavigilantii.* — Nimirum respondet generi suo, ut qui de latronum et Conve-

dicitur.

³ Alludi videtur illud *Isa.* I, *Vinum tuum mistum est aqua*, quod passim alii Patres, et noster cum primis Hieronymus de hæreticis dictum interpretantur. Tertullianus lib. *de anima*, c. 3. *caupones et miscentes aquam vino hæreticos* vocal. Hieronymus utrumque uno verbo elegantissime et hæresim et cauponariam artem exprobrare voluit Vigilantio.

⁴ Ms. omnes *accipit*, ut solam Romanam consuetudinem respicere videatur. Recole autem nunc illa lib. I contra Jovinianum. *Non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Astipulantur Siricius, epist. 4 ad Himerium, Innocentius, epist. ad Victricium, Ambrosius lib. I Officior. cap. 50, tum epist. 61 ad Vercell. Epiphanius hæres. 59 et, ut alios præteream, Augustinus ad calcem lib. II de Adulter. conjugii.

narum natus est semine (quos [Consul. Strab. lib. iv] Cn. Pompeius edomita Hispania, et ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi jugis deposuit, et in 390 unum oppidum congregavit : unde et Convenarum urbs nomen accepit) hucusque latrocinetur contra Ecclesiam Dei ¹, et de Vectonibus, Arrebacis, Celtiberisque descendens, incurset Galliarum Ecclesias, portetque nequaquam vexillum [Al. Christi] crucis, sed insigne diaboli. Fecit hoc idem Pompeius, etiam in Orientis partibus; ut Cilicibus et Isauris piratis. latronibusque superatis ²: sui nominis inter Ciliciam et Isauriam conderet civitatem. Sed hæc urbs hodie servat scita majorum, et nullus in ea ortus est Dormitantis. Galliæ vernaculum hostem sustinent, et hominem moti capitis, atque Hippocratis vinculis alligandum, sedentem cernunt in Ecclesia : et inter cætera verba blasphemæ, ista quoque dicentem : « Quid necesse est, te tanta honore non solum honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis ? » Et rursus in eodem libro : « Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oscularis ? » Et in consequentibus : « Prope ritum ³ gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesiis, sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi, et ubicunque pulvisculum nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant. Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos; quos Agnus, qui est in medio throni cum omni fulgore majestatis suæ, illustrat. »

5. *Reliquiæ apostolorum, et Samuelis.* — Quis enim, o insaum caput, aliquando martyres adoravit ? quis hominem putavit Deum ? nonne Pau-

¹ Illustriss. de Marca in peculiari Disert. de Vigilantii patria hunc locum ita restituendum contendit, ut pro *et* copula, legeret *nec*. Vultque hunc esse sensum, si ex Origene peti possit auctoritas latrocinii exereendi, coercendam Vigilantio hanc licentiam contra Ecclesiam Dei extra urbis suæ fines, qua ex Vectonum, Arevocorum et Celtiberorum populis, qui in bello potius latrocinia exercebant quam militiam, conflata olim fuit; nec ulterius incursandi cæteras Galliarum Ecclesias licere illi, nequaquam prælato vexillo crucis, cum ipse insigne sit diaboli. Verum nulli huic conjecturæ mss. codices suffragantur; præstatque cum Pagio interpolationis vitia, quibus antea periodus hæc laborabat, emendare, ut fecimus, præsentia *et* particula. Eoque sensu dicitur nimirum, generi suo respondere Vigilantius, ut qui de latronum natus est semine, Vectonum scilicet, Arevocorumque, magis ac magis latrocinetur, et incurset Galliarum Ecclesias, et portet non crucis vexillum, sed insignia diaboli. In Bononiensi ms. *Arvacis* est pro *Arrebacis*; in aliis hæc nomina mire depravantur.

² Bononiens. liber, *Isauris latronibus superatis*. Pomponius Mela, lib. i, cap. 13 : « Urbs est, inquit, olim Rhodiis Argivisque post piratis, Pompero assignante possessa : nunc Pompeiopolis, tu ne Soloe. »

³ In duobus mss. *proprie ritum*, etc. Hoc nempe erat paganice superstitionis institutum, cereos ante idola accendere, quod ipse Hieronymus, lib. xvi,

lus et Barnabas (*Act.* xiv, 11) cum a Lycaonibus Jupiter et Meacurius 391 putarentur, et eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua et se homines esse dixerunt ? Non quod meliores non essent olim mortuis hominibus Jove atque Mercurio : sed quod sub gentilitatis errore, honor eis Deo debitus deferretur. Quod et de Petro legimus, qui Cornelium se adorare cupientem manu sublevavit, et dixit : « Surge : nam et ego homo sum (*Act.* x. 26). » Et audes dicere : « Illud nescio quid quod in medico vasculo transferendo colis ? Quid est illud, nescio quid, scire desidero, « Expono manifestius, ut tota libertate blasphemæ, pulvisculum nescio quod (*ms.* B. inquit in, etc.) in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum. » Dolet martyrum reliquias pretioso operiri velamine : et non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinum ; ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando apostolorum basilicas ingredimur ? Sacrilegus fuit Constantius imperator I, qui sanctas reliquias Andreae, Lucæ, et Timothei transtulit Constantinopolim ⁴, apud quas dæmones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur ? Sacrilegus dicendus est, et nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam ? Omnes episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt ? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis : et tanta lætitia ⁵, quasi præsentem viventemque prophetam cernerent, *susceperunt* : unde Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina : et in Christi laudes una voce resonarent ? Videlicet adorabant Samuelem, et non

cap. 57, in Isaiam tradit, « Tutela simulacrum cereis venerans et lucernis ; » Lactantius quoque lib. vi *Divinarum Institut.*, cap. 2 : « Non igitur mentis suæ composiputandus est, qui auctori, et datori luminis candelas ac cereorum lumen offert pro munere ? » Ethnicos utique reprehendens dixit. In sacris autem Christianorum, ut hic semel dicam, mysticum usum luminum interdiu probant antiqui Patres S. Epiphanius Epis. ad Joannem Hierosolymit, inter Hieronymianas nunc 51, num. 9, et decantati Paulini versus Natali 3 sancti Felicis.

Clara coronantur denis altaria lyncis,
Lumina ceratis adolenur odora papyris ;
Nocte dieque micant, sic nox splendore diei
Fulget, et ipsa dies cælesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Optime adeo noster Hieronymus infra, non ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ faciendum incendi explicat : cui concinit Isidorus lib. vii *Orig.* cap. 12, aliique deinde, qui sacramenta ex his luminibus plura in dies edisseruerunt.

⁴ Vide Philostorgium lib. iii. cap. 2 : Idacium quoque in Fastis : quinimo Hieronymum ipsum in Chronico ad an. 19 et 20 Constantii, non 21 ut Scaliger refert ; in Catalogo cap. 7, in fine.

⁵ Vetus editio addit *jocundati*, et paulo post *cernerent atque* susciperent. Ms. Bononiens. *viventemque cernerent absque prophetam*.

Christum, cuius Samuel et levita et propheta fuit. Mortuum suspicaris, et idcirco blasphemias. Lege Evangelium : *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob : non est Deus mortuorum, sed vivorum* (Matth. xxii, 32). Si ergo vivunt, honesto juxta te carcere non clauduntur.

6. *Sententia Hæreticorum hujus temporis. Non sunt legendi libri apocryphi. Basilidis portenta verborum.* — Ais enim vel in sinu Abraham, vel in ~~302~~ loco refrigerii, vel subter aram Dei, animas apostolorum et martyrum consedis, nec posse de suis tumulis, et ubi voluerint adesse presentes ¹. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt; et non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia in fortunatorum insulis et in campis Elysiis recluduntur. Tu Deo leges pones? Tu apostolis vincula injicies; ut usque ad diem iudicii teneantur custodia, nec sint cum Domino suo de quibus scriptum est: « Sequuntur Agnum, quocumque vadit (Apoc. xiv, 4). » Si Agnus ubique, ergo et hi qui cum Agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus et dæmones toto vagantur in orbe, et celeritate nimia ubique presentes sint, martyres post effusionem sanguinis sui [mss. ara] *arca* ² operientur inclusi, et inde exire non poterunt? Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: præsertim cum martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint (Apoc. vi, 10). Si apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare ³ pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto magis post coronas, victorias et triumphos? Unus homo Moyses, sexcentis millibus armatorum impetrat a Deo, veniam (Exod. xxxii, 30 seqq.): et Stephanus imitator Domini sui, et primus martyr in Christo, pro

¹ Veteris iudicii in reos dignitate conspicuos hæc erat regula, ut ante probationem carceri non adijcerentur. Vid. leg. 1 de custodia reorum; et Venuleium d. Cod. l. 5. Mox vetus editio *recludantur*; deinde ms. Bononiens. *leges ponis*.

² Mss. plerique omnes *ora* non *arca*. Sic paulo supra *subter aram Dei* dicitur.

³ Bononiens. lib. « Possunt orare pro cunctis, quando de se adhuc, » etc. Miror autem ac doleo, homines hæreticos etiamnum cavillari legitimam hanc Hieronymi argumentationem: imo penitus non intelligere; quod si pro alii, cum adviverent inter hujus sæculi curas, orare poterant sancti, multo magis cum apud Deum recepti sunt, de sua incolumitate securi, de nostra erunt salute solliciti.

⁴ *Qui sub nomine Esdræ*. Librum Esdræ quartum intelligere videtur: nam falsa Vigilantio opinio sumpta videtur capite 7 libr. IV Esdræ 39 ad 44. MARTIAN. — Notatum Victorio est e quarto libro apocrypho Esdræ cap. vii, sess. 36 ad usque 44, suam opinionem utcumque extendere potuisse Vigilantium.

⁵ *Thesaurum Manichæi*. Duas naturas, unam boni, alteram mali, Manichæus dicebat; easque velut e quodam æterno thesauro erutas asserebat. Ridicula hæc portenta Manichæi et Basilidis vide apud Irenæum, Epiphanium, et Augustinum. MAR-

A persecutoribus veniam deprecatur (Act. viii, 50); et postquam cum Christo esse cœperint, minus valent? Paulus apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas, et postquam rrsolutus esse cœperit cum Christo, tunc cra clausurus est (Act. xxvii, 37): et pro his qui in toto orbe ad suum Evangelium crediderunt, mutire non poterit? Meliorque erit Vigilantius canis vivens, quam ille leo mortuus (Eccle. ix, 9)? Recte hoc de Ecclesiaste proponerem, si Paulam in spiritu mortuum confiterer. Denique sancti non appellantur mortui, sed dormientes. Unde et Lazarus qui resurrecturus erat, dormisse perhibetur (Joan. xi, 11). Et Apostolus vetat Thessalonicenses (I Thess. iv, 12) de dormientibus ~~303~~ contristari. Tu vigilans dormis, et dormiens scribis; et proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ a te et similibus tuis legitur; ubi scriptum est, quod post mortem nullus pro alii audeat deprecari; quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere, quod Ecclesia non recipit? Nisi forte Balsamum mihi, et Barbelum, et Thesaurum Manichæi ⁵, et ridiculum nomen Leusiboræ proferas; et quia ad radices Pyrenæi habitas, vicinusque es Iberiæ, Basilidis antiquissimi hæretici et imperitiæ scientiæ, incredibilia portenta prosequeris, et proponis quod totius orbis auctoritate damnatur. Nam in Commentariolo tuo quasi pro te faciens de Salomone sumis testimonium, quod Salomon omnino non scripsit; ut qui habes alterum Esdræ, habeas et Salomonem alterum; et si tibi placuerit, legito fictas revelationes ⁶ omnium patriarcharum et prophetarum: et cum illas didiceris, inter mulierum textrinas cantato, imo legendas propone in tabernis tuis; ut facilius per has nœnias vulgus indoctum provoces ad bibendum.

7. *Cerei in templis, quare accensi? Christiani re-*

TIAN — Putat Martianæus e quodam æterno thesauro crutas innui juxta Manichæum duas naturas, boni unam, alteram mali, a quo non abludit Victorius, qui *thesaurum* obvio sensu dici autumat. Verum e contrario *thesaurum* unum fuisse e portentosis nominibus, quæ Basilides et Manichæus excogitarunt, passim Hieronymus indicat in cap. lxiv Isaiæ. Ut Basilidis, *Balsami atque Thesauri, Barbelonis quoque et Leusiboræ, ac reliquorum nominum portenta*, etc. Paria habet in epist. ad Theodoram, et in illa ad Pammachium de optimo gene interpretandi: inter Phœnicum vero deos Μελέθαρον, et Θεσαυρόν, *Thesaurum* Codinus quoque enumerat in *Originibus Constantinopolitanis* numero 66, tametsi pro Θεσαυρόν alii substituant Θύσαρρον, et falsæ lectionis Codinum arguant. Certe non alio sensu Thesauri nomen, ut auctor *Historiæ hæreseos Manichæorum*, recens Parisiis editus tradit, titulus erat quarti libri quem contra rectam fidem Scythianus hujus hæreseos auctor composuit. Vide Eusebium oratione de laudibus Constantini, et quæ in epistolam 25, ad Theodoram, num. 3, adnotavimus nota b. In ms. Bononiensi verbum *proferas* desideratur.

⁶ Ille fortasse liber indicatur, cui titulus ππριάρχη in Athanasii synopsi, et Nicephori Constantinopolitani canone.

nascimur. Quare luminaria ad Evangelium accenduntur? — Cereos autem non clara luce accendimus sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus; et vigilemus ad lumen. ne cæci tecum dormiamus in tenebris¹. Quod si aliqui per imperitiam. et simplicitatem sæcularium hominum vel certe religiosarum feminarum, de quibus vere possumus dicere: « Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam (Rom. x, 2), » hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis? Causabantur quondam et apostoli, quod periret unguentum; sed Domini voce correpti sunt (Matth. xxvi, 8 et Marc. xiv, 8). Neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum: et tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioquo mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: « Unusquisque in suo sensu abundet (Rom. xiv, 5). » Idololatrias appellas hujusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos qui in Christo credimus de idololatriæ errore venisse. Non enim nascimur, sed nascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, idcirco recipiendum est. Nam et absque martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde et virgines illæ evangelicæ semper habent accensas lampades suas (Matth. xxv, 1 seqq.). Et ad apostolos dicitur: « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (Luc. xii, 35). » Et de Joanne Baptista: « Ille erat lucerna ardens et lucens (Joan. v, 32): » ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur de qua in Psalterio legimus: « Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis (Psal. cxviii, 105).

8. Romanus episcopus super corpora apostolorum offert sacrificia. Vigilantii stulta sententia vel obiectio, Eunomius auctor hæreseos contra reliquias. Moctamus. Tertulliani Scorpiacus liber. Caina hæresis instaurata. — Male facit ergo Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundum nos ossa veneranda², secundum

¹ Bonon. ms. Ne tecum dormiamus, absque cæci.

² Proprium reverentiæ sanctorum reliquiis debita est venerationis vocabulum. S. Hilarius lib. contra Constantium, num. 8, beatorum martyrum veneranda ossa vocat. Eusebius Gallicanus, sive ut videtur, Eucherius homil. de sancta Blandina, veneranda ossa in cineres ab impiis redacta dolet. Tam, « Ubi sunt, inquit qui dicunt, venerationem sacris martyrum non deferendam esse corporibus, » etc. Pro vilem, alii lib. et ms, Bon. vile.

³ Vetus Edit. cum Bonon. ms. linteamine colligata.

⁴ Denuo Benoniens. ms. intus immundo cinere

te vilem pulvisculum. offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria? Et non solum unius urbis, sed totius orbis errant episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum, in quibus pulvis vilissimus et favilla, nescio quæ, jacet linteamine convoluta³. ut polluta omnia polluat, et quasi sepulcra Pharisæica foris dealbata sint cum intus immundo cinere, 395 juxta te, immunda omnia oleant atque sordeant⁴. Et post hæc de barathro pectoris sui cœnosam spurcitiam evomens, aut dicere: « Ergo cineres suos amant animæ martyrum, et circumvolant eos, semperque præsentibus sunt; ne forte si aliquis⁵ preceptor [Al. peccator] advenit, absentes audire non possint? » O portentum in terras ultimas deportandum! Rides et reliquiis martyrum, et cum auctore hujus hæreseos Eunomio, Ecclesiis Christi calumniam struis: nec tali societate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur? Omnes enim sectatores ejus basilicas apostolorum et martyrum non ingrediuntur, ut scilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris auctoritatis arbitrantur, quam Evangelia; et in ipso credunt esse lumen veritatis⁶: sicut aliæ hæreses paracletum in Montanum venisse contendunt, et Manichæum ipsum dicunt esse paracletum. Scribit adversum hæresim tuam, quæ olim erupit adversum Ecclesiam (ne et in hoc quasi repertor novi sceleris glorieris) Tertullianus vir eruditissimus insigni volumine, quod Scorpiacus vocat rectissimo nomine: quia arcuato vulnere in Ecclesiæ corpus venena diffundit, quæ olim appellabatur Caina hæresis: et multo tempore dormiens vel sepulta, nunc a Dormitatio suscitata est. Miror, quod non dicas, nequaquam perpetranda martyria, Deum enim qui sanguinem hircorum taurorumque non quærat, multo magis hominum non requirere. Quod cum dixeris, immo et si non dixeris, ita haberis quasi dixeris. Qui enim reliquias martyrum asseris esse calcandas, prohibes sanguinem fundi, qui nullo honore dignus est.

9. Vigilæ et pernoctationes in basilicis. Paucorum culpa non præjudicat religioni. Quod semel fecisse bonum est, non potest esse malum si frequenter fiat. — De vigiliis et pernoctationibus in basilicis martyrum sæpe celebrandis, in altera Epistola, quam ante hoc ferme biennium sancto Ripario presby-

sordeant. omissis quæ interseruntur, juxta te immunda omnia oleant, atque quæ Victorius quoque in antiquis exemplaribus non haberi animadvertit, et forte satius erat expungere.

— Cum intus immundo, Plures mss. omittunt hoc loco nonnulla verba, legentes Cum intus immundo cinere sordeant, Cluniacensis codex variam hanc retinet lectionem: Et intus immundi cineres juxta te immunde omnia polluant et sordeant. MARTIAN.

³ Alibi et in mss. Si aliquis peccator.

⁶ Duo mss. esse culmen veritatis: paulo post Bononiens. Volumine insigni eam Scorpiacam vocans, etc., haud recte.

dero scripseram, respondi breviter. Quod si ideo eas aestimas respuendas, ne sæpe videamur Pascha celebrare, et non solemnes post annum exercere vigiliis : ergo et die dominico non sunt Christo offerenda sacrificia, ne resurrectionis Domini crebro Pascha celebremus : et incipiamus non unum Pascha habere, sed plurima. Error 396 autem et culpa juvenum vilissimarumque mulierum, qui per noctem sæpe deprehenditur, non est religiosi hominibus imputandus : quia et in vigiliis Paschæ tale quid fieri plerumque convincitur, et tamen paucorum culpa non præjudicat religioni ; qui et absque vigiliis possunt errare vel in suis ¹, vel in alienis domibus. Apostolorum finem Judæ proditio non destruxit. Et nostras ergo vigiliis malæ aliorum vigiliæ non destruent : quin potius pudicitie vigilare cogantur, qui libidini dormiunt. Quod enim semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequentius fiat : aut si aliqua culpa vitanda est, non ex eo quod sæpe sed ex eo quod fit aliquando culpabile est. Non vigilemus itaque diebus Paschæ, ne expectata diu adulterorum desideria compleantur : ne occasionem peccandi uxor inveniat, ne maritali non possit recludi clave. Ardentius appetitur quidquid est rarius.

10. *Vigilantii argumenta contra miracula.* — Non possum universa percurrere, quæ sanctorum presbyterorum litteræ comprehendunt ; de libellis illius aliqua proferam. Argumentatur contra signa atque virtutes, quæ in basilicis martyrum fiunt, et dicit eas incredulis prodesse, non credentibus, quasi nunc hoc quæretur, quibus fiant, et non, qua virtute fiant. Esto, signa sint infidelium ², qui quoniam sermoni et doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem et Dominus incredulis signa faciebat, et tamen non idcirco Domini suggillanda sunt signa, quia illi infideles erant, sed majori admirationi erunt [*Al.* erant], quia tantæ fuere potentie, ut etiam mentes durissimas edomarent, et ad fidem cogèrent. Itaque nolo mihi dicas, signa infidelium sunt : sed responde quomodo in vilissimo pulvere et favillas, nescio qua, tanta signorum virtutumque præsentia. Sentio, sentio, infelicissime mortalium. quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere, immo hodieque torquetur, et qui in te plagas dissimulat, in cæteris constitetur. Nisi forte in morem gentilium impiorumque, Porphyrii et Eunomii, has præstigias

¹ Idem Bononiens, liber, *possunt orare vel in suis*, etc. Paulo infra, *At si aliqua culpa*, etc., deinde *ne occasione peccandi uxor veniat*.

² Idem iterum cum vet. edit., *Ergo signa sunt*, etc.

³ In eodem Bononiensi *præstigias dæmonum contra te confingens*, etc.

⁴ Imo tres passim enumerant veteres mythologi. Sed et Eusebius Præpar. lib. 11 : *Tres noctes tralunt Jovem geminasse, unde Τριόσπερος, et Τρισέλθης Hercules dictus est.* Duas tamen cum Hieronymo Ovidius notat lib. 1 *Amor.*, Eleg. 43 :

Commisit noctes in sua vota duas.

dæmonum esse confingas ³, 397 et non vere clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Do consilium, ingrediere basilicas martyrum, et aliquando purgaberis : invenies ibi multos socios tuos, et nequaquam cereis martyrum, qui tibi displicent, sed flammis invisibilibus combureris, et tunc fateberis, quod nunc negas, et tuum nomen, qui in Vigilantio loqueris, libere proclamabis, te esse aut Mercurium propter nummorum cupiditatem, aut Nocturnum [*Al.* Nocturninum], juxta Plauti Amphitryonem, quo dormiente, in Alcmenæ adulterio, duas noctes Jupiter copulavit ⁴, ut magnæ fortunæ Hercules nasceretur ; aut certe Liberum patrem pro ebrietate et cantharo ex humeris dependente, et semper rubente facie, et spumantibus labiis, effrenatisque conviciis,

11. *De Vigilantio historia.*—Unde et in hac provincia cum subitus terræ motus ⁵ noctis medio omnes de somno excitasset ; tu prudentissimus et sapientissimus mortalium nudus orabas, et referebas nobis Adam et Evam de paradiso : et illi quidem apertis oculis erubuerunt, nudos se esse cernentes, et verenda texerunt arborum foliis : tu et tunica et fide nudus, subitoque timore perterritus, et aliquid habens nocturnæ crapulæ, sanctorum oculis obscenam partem corporis ingerebas, ut tuam indicares prudentiam. Tales habet adversarios Ecclesia : hi duces contra martyrum sanguinem dimicant ; hujuscemodi oratores contra apostolos per-tonant, imo tam rabidi canes contra Christi latrant discipulos.

12. *Timebat interdum Hieronymus basilicas intrare martyrum.* — Confiteor timorem meum, ne forsitan de superstitione descendat. Quando iratus fuero, et aliquid mali in meo animo cogitavero : et me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo ; ita totus et corpore et animo contremisco. Rideas forsitan, et muliercularum deliramenta subsannes. Non erubescio earum fidem, quæ primæ viderunt Dominum resurgentem, quæ mittuntur ad apostolos, quæ in matre Domini Salvatoris sanctis apostolis commendantur. Tu ructato cum sæculi hominibus, ego jejunabo cum feminis, imo cum religiosi viris, qui pudicitiam 398 vultu præferunt, et pallida jugi continentia orat portantes, Christi ostendunt verecundiam.

13. *Vigilantius quid prohibebat ? Collectæ in die Plautus quem noster laudat.*

Credo ego hac nocte Nocturnum obdormisse.

⁵ *Cum subitus terræ motus.* Prosper in Chronicis, « Arcadio IV et Honorio III coss. terræ motus per dies plurimos fuit cælumque ardere visum est. » MARTIAN. — In S. Prosperi ac Marcellini Chronicis refertur ad annum 366 : « Arcadio V et Honorio III coss. terræ motus per dies plurimos fuit, » etc. Paulo infra vêtus editio *de paradiso ejectos sic orasse.*

dominico. Consuetudo eleemosynarum apud Hebræos et Christianos.— Videris mihi dolere et aliud, ne si inoleverit apud Gallos continentia et sobrietas atque jejunium, tabernæ tuæ lucra non habeant, et vigiliis diaboli ac temulenta convivium tota nocte exercere non possis. Præterea iisdem ad me relatum est Epistolis, quod contra auctoritatem apostoli Pauli, imo Petri, Joannis et Jacobi, qui dextras dederunt Paulo et Barnabæ communicationis, et præceperunt eis, ut pauperum memores essent, tu prohibeas Hierosolymam in usus sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi. Videlicet si ad hæc respondero, statim latrabis, meam me causam agere, qui tanta cunctos largitate donasti, ut nisi venisses Hierosolymam, et tuas vel patronorum tuorum pecunias effudisses, omnes periclitaremur fame. Ego hoc loquor, quod beatus apostolus Paulus in cunctis pene Epistolis suis loquitur, et præcipit Ecclesiis gentium per unam sabbati, hoc est, die dominico omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in sanctorum solatia dirigantur, et vel per discipulos suos, vel per quos ipsi probaverint: et si dignum fuerit, ipse aut dirigat, aut perferat¹ quod collectum est. In Actibus quoque apostolorum loquens ad Felicem præsidem: « Post annos, ait, plures, eleemosynas facturum in gentem meam, veni Hierosolymam, et oblationes et vota in quibus invenerunt me purificatum in templo (Act. xxiv, 17, 18). » Nunquid in alia parte terrarum, et in Ecclesiis, quas nascentes fide sua erudiebat, quæ ab aliis acceperat, dividere non poterat? Sed sanctorum locorum pauperibus dare² cupiebat, qui suas pro Christo facultatas relinquentes, ad Domini servitum tota mente conversi sunt. Longum est nunc si de cunctis epistolis ejus omnia testimonia revolvere voluero, in quibus hoc agit, et tota mente festinat, ut Hierosolymam et ad sancta loca credentibus pecuniæ dirigantur: non in avaritiam, sed in refrigerium, non ad divitias congregandas, sed ad imbecillitatem corpusculi sustentandam, et frigus atque inediam 399 declinandam. Hac in Judæa usque hodie perseverante consuetudine, non solum apud nos, sed et apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte (Psal. 1, 2), et patrem non habent in terra, nisi solum Deum, synagogarum³ et totius orbis foveantur ministeriis (Deut. xviii, 2 sq.); ex æqualitate duntaxat non ut aliis refrigerium, et aliis sit tribulatio: sed ut aliorum abundantia, aliorum sustentet inopiam (II Cor. viii, 14).

14. Eleemosynæ quibus potissimum faciendæ.

¹ Ms. Bonon. aut proferat, etc. ex mox Veni oblationes et vota offerre in quibus, etc. absque Hierosolymam.

² Idem fere cum veteri editione, sed sanctis pauperibus dare.

³ Ejus rei ordinem explicat, multaque congerit exempla doctiss. P. Bacchini, in libro de Metro-

A Mali puuperes. — Respondebis, hoc unumquemque posse in patria sua facere: nec pauperes defuturos, qui Ecclesiæ opibus sustentandi sint. Nec nos negamus cunctis pauperibus, etiam Judæis et Samaritanis, si tanta sit largitas, stipes porrigendas. Sed Apostolus faciendam quidem docet ad omnes eleemosynam, sed maxime ad domesticos fidei (Galat. vi. 10). De quibus et Salvator in Evangelio loquebatur: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis [Al. iniquo], qui vos recipiant in æterna tabernacula (Luc. xvi, 9). » Nunquid isti pauperes, inter quorum pannos et illuviem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu beati appellantur: de quibus scriptum est: « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus (Psal. xl, 1). » In vulgi pauperibus sustentandis nequaquam intellectu, sed eleemosyna opus est. In sanctis pauperibus beatitudo est intelligentiæ, ut [Al. ut et ei] ei tribuat, qui erubescit accipere: et cum acceperit, dolet: metens carnalia, et seminans spiritalia. Quod autem asserit eos melius facere, qui utuntur rebus suis, et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam illos qui possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur, non a me ei [Al. eis], sed a Domino respondebitur: « Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus: et veni sequere me (Matth. xix, 21). » Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum apostolis patrem, naviculam et rete dimittit. Iste quem tu laudas, secundus aut [Al. ei] tertius gradus est, quem et nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis et tertiis præferenda.

15. Vita ac conditio veri monachi, Vitandi monacho aspectus mulierum. — Nec a suo studio monachi deterrendi 400 sunt a te lingua viperea et morsu sævissimo, de quibus argumentaris et dicis: Si omnes se cluserint⁴, et fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias? quis sæculares homines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo si omnes tecum fatui sint, sapiens quis esse poterit? Et virginitas non erit approbanda. Si enim omnes virgines fuerint, nuptiæ non erunt: interibit humanum genus: infantes in cunis non vagient; obstetrices absque mercedibus mendicabunt: et gravissimo frigore solus [Al. solutus] atque contractus Dormitanti vigilabit in lectulo. Rara est virtus nec a pluribus appetitur. Atque utinam hoc omnes essent, quod

polibus. Ms. Bonon. deinde habet ex æqualitate et ita duntaxat, etc.

⁴ Verius puto quod habent mss. omnes, ipso Martiano testo, recluserint, quod est, se claudendo ab aliis separarint. Exemplum habes apud Justin. non uno in loco.

pauci sunt, de quibus dicitur: *Multi vocati, pauci electi* (Matth. xx, 16 et xxii, 14); vacui essent carceres. Monachus autem non doctoris habet, sed plangentis officium: qui vel se, vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoleatur adventum: qui sciens imbecillitatem suam, et vas fragile quod portat, timet offendere, ne impigat, et corruat atque frangatur. Unde et mulierum, maximeque adolescentularum vitat aspectum, et in tantum castigatorem sui est, ut etiam quæ tuta sunt pertimescat.

16. *Fugienda vitia et vitiorum occasiones. Certa non sunt dimittenda, et incerta sectanda.* — Cur, inquires, pergis ad eremum? videlicet ut te non audiam, non videam; ut tuo furore non movear; ut tua bella non patiar; ne me capiat oculus meretricis; ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis: hoc non est pugnare, sed fugere. Sta in acie, adversariis armatus obsiste: ut postquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam. Nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium devitavi [Al. dimittam]: si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, et incerta sectari? Aut scuto, aut pedibus mors vitanda est. Tu qui pugnas, et superari potes, et vincere. Ego cum fugero, non vinco¹ in eo quod fugio: sed ideo fugio, ne vincar.

¹ *Martianæus non vincar: olim non vincor*, quod Victorius improbat. Nos cum duobus mss. legimus.

² *Recole epistolam ad Sabinianum lapsum in nostra recensione 147, num. 5, ubi matres monasteriorum vocantur. S. quoque Optatus de Schismate Donatistarum lib. ii, «Invenerunt matres, quas de castimonialibus fecerant mulieres.»*

³ *Epistola 46 Paulæ et Eustochii initio: «Mensuram charitas non habet, et impatientia nescit modum.» etc. Sed hic loci pro incontinentia impatientia sumitur, ut supra indicatum est.*

A Nulla securitas est vicino serpente dormire. Potest fieri, ut me non mordeat, tamen potest fieri ut aliquando me mordeat. 401 *Matres² vocamus sorores et filias, et non erubescimus vitiis nostris nomina pietatis obtendere. Quid facit monachus in cellulis feminarum? quid sibi volunt sola et privata colloquia, et arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet³. Quod de libidine diximus, referamus ad avaritiam, et ad omnia vitia quæ vitantur solitudine. Et idcirco urbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere, quam voluntas.*

B 17. *Aperta blasphemia indignationem flagitat.* — Hæc, ut dixi, sanctorum presbyterorum rogatu, unius noctis lucubratione dictavi, festinante admodum 402 fratre Sisinnio⁴, et propter sanctorum refrigeria ad Ægyptum ire properante: alioquin et ipsa materia apertam habuit blasphemiam, quæ indignationem magis scribentis, quam testimoniorum multitudinem flagitaret. Quod si Dormitantius in mea rursus maledicta vigilaverit, et eodem ore blasphemus, quo apostolos et martyres lacerat. de me quoque putaverit detrahendum, nequaquam illi brevi lucubratiuncula, sed tota nocte vigilabo, et sociis illius, immo discipulis vel magistris, qui nisi tumentes uteros viderint feminarum, maritos earum Christi ministerio arbitrantur indignos.

⁴ *Fratre Sisinnio.* De hoc eodem Sisinnio hæc leguntur in Præfatione Comment. lib. ii in Zachariam: «Dum frater Sisinnius Ægyptum ire festinat, ut odorem bonæ fragrantiae, qui a te missus est fratribus, illuc quoque perferat.» etc. Hanc itaque in Vigilantium lucubratiunculam scripsit anno Christi 406, id est, sexto consulatu Arcadii Augusti, ut ipsemet testatur Præfatione iii Commentar. in Amos prophetam. MARTIAN. — De hoc fratre Sisinnio diximus in præfixa huic opusculo Admonitione.

IN SEQ. LIB. CONTRA JOANNEM HIEROSOL. ADMONITIO.

4. Joannes Hierosolymitanus, qui ante adeptum episcopatum monachus, Arianis et Macedonianis adhererat, postquam ad pontificiam dignitatem evehctus est, Origenistis, qui in ea provincia multi erant, aures accommodavit. Id ægre admodum ferebant boni omnes, atque in primis S. Epiphanius, qui eum Hierosolymæ convenit, præsens præsentem hortatus est, ut se ab errore reciperet: ille e contrario ita excanduit, ut Epiphanium ipsum de Anthropomorphitarum hæresi publice incusare non dubitavit. Ad hæc rixarum homo cupidus, causas quærens vindictæ, in eo se læsum ab Epiphanio conquestus est, quod ille Paulinianum sancti Hieronymi fratrem in Palæstinæ monasterio agentem, extraditionem scilicet Salamini episcopi presbyterum ordinaverit. Quod ille quanquam satis bene excusaret: quod non in parochia Joanni subjecta fœd fecisset, unamque esse dissidii causam obtestaretur, violatam Origenianis dogmatibus rectam fidem, Joannes hanc unam ordinationem iracundiæ suæ causam prætexebat. Quamobrem et Hieronymum quoque, ejusdem Pauliniani fratris, multo vero magis Origenismi causa, odio habuit. Cum enim ab Epiphanii partibus staret S. Doctor, et non solum fratris sui ordinationem absque alterius injuria, sed ex recepta inter Cypri episcopos consuetudine factam probe sciret, sed etiam Origenis errores acribus qua verbis, qua scriptis jugularet, ita Joannis iracundiam